

Q.K. 364, 24.

II m
740

Feliciter!

EXERCITATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA

qua

Investigaturis Seculi præsentis Decimi

Septimi finem, rationibus firmis de-
monstratur:

Annum, quem stylo usitatissimo
inscribimus

**MILLESIMUM
SEPTINGENTE-
SIMUM,**

Ex mente Autoris æræ hodiernæ, a Nati-
vitate Christi servatoris numerantis annos, re vera
esse Seculi XVII. finem, insequentem vero an-
num 1701. novum etiam inchoa-
re Seculum.

A U T O R E

M. PETRO BECCERO,

Math: Prof: Publ:

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



BIBLIOTHECA
PONICKAVLINA



ROSTOCHI, Typis & Impensis JACOBI RICHELII,
Ampliss. Sen. Typogr. Anno clō lōcic,

Σ.



Per Benignitatem Redemptoris Mei Lecturo Salutem!



Ona nova! Novus enim, quem jamjam auspici-
cabimur, annus verè novam, aut, sicut hodie,
agitam nunquam, ex antiquitate tamen sol-
vendam passim movit quæstionem. Quæsti-
unculam dicerem cum aliis, nisi majus illi ines-
se pondus res ipsa loqueretur satis: Sitne no-
vus, quem usitata per orbem Christianum æra
1700. inscribit, annus novi etiam seculi pri-
mus? Egregius de hoc inopinato, & parum a-
best quin miro, hodie themate libellus prodiit nuper Hafniæ Autore quidem
J. C. Rudemanno Brunsvicensi, cui titulus: *Kurze Gedancken vom Ende
des gegenwärtigen und Anfange des neuen Seculi.* Idem thema
quoque in Gallia exercuit quamplurimos Mathematicum Professores & cultor-
es, citante id Autore *der Historischen Remarques Hamburgensi* p. 200.
264. 376. 400. Meminit ejusdem volitantis per orbem famæ Thomasius
in Disputationis cujusdam inscriptæ: *Vindiciæ Juris Majestatici circa sacra,*
corollario. Nec alibi sepulta jacet quæstio. Consulantur Relationes pu-
blicæ, conferantur hinc inde missæ ad nos literæ, testimonium ferant etiam
quotidie nos inter missi Sermones. Non verò ibimus hac vice in laudes Au-
torum, erudite hac in parte differentium, neque etiam, quatenus nobis contra-
riabuntur, epicrisin hic adjiciemus, satis habituri, si & nostram saltem o-
pinionem explicare licuerit, simplici quidem scribendi genere. Non enim
miraberis, Lector Colendissime, neglectam à nobis Etymi explicationem,
nec sublatas æquivocationes, aut non adjectas voces alias Seculi Synony-
micas. Præterquam enim quod ab aliis in eadem materia id jam præstitum
partim deprehenderimus, ab aliis partim non visis factitatum facile nobis
persvadeamus, neque præsentis opellæ ratio, neque temporis concessit angustia.
Alii cum aliis reservantur occasione. Tria vero, pro triplici in hoc themate
argumento, videbis L. B. posita abs nobis capita; eo quidem consilio: ut
primum demonstret, cujus sit hæc quæstio momenti? quænam ejusvis? quod-
nam pondus? Secundum inquirat in verum æræ hodiernæ Autorem, ex cu-
jus quippe mente solvenda erit quæstio. Tertius demum ita respondeat, su-
isq; assertum argumentis fulciat, ut veritas ejus cuilibet lecturo evidens satis
appareat. Concludemus nimirum; Annum 1700. non esse primum seculi
seculi, sed ultimum præsentis.

Fave L. C. scribenti.

A 2

CAPUT

CAP. I.

CONSPECTUS.

C hronologorum varò esse consensum.	Num. 1.	Verum : sitne 1700. complete sumendus ex mente Autoris.	11.
Ex presenti etiam patet controversia.	2.	Cohæret quæstio cum illa, de vero Christi natali admodum difficili.	12.
Qua de hodie disceptari mirum videtur aliis.	3.	Quod undè fiat dicitur.	13.
Superfluum.	4.	Non tamen plane eadem cum illa.	14.
Aut absurdum judicantibus.	5.	Difficilis verò satis.	15.
Huc spectat judicium Annotat. Hist. Hamb.	6.	Nec inutilis omnino.	16.
Contrarium nobis.	7.	Major enim exin certitudo ære Christiana.	17.
Et cuius controversiam perpendenti videbitur.	8.	Exerit usum in vita civili, cujus Exemplum.	18.
Non enim negatur seculum constare 100. annis.	9.	Proin & nos de illa dispiciamus.	19.
Nec currens dicitur Seculi finis.	10.	Aliorum censura nos submissuri.	20.
		Aliorum tamen opinionem modeste sub censuram revocaturi.	21.

1. **Q**uemadmodum suo jam tempore Clemens Alexandrinus quæstus fuit : τὸ περὶ τῶν χρόνων ἀγαθῶν πολλοῖς ἰσογενέστερον Strom. 1. Ita id ipsum experiuntur verum magis, qui à tempore rei gestæ, in cujus veritatem inquirunt, ad
2. remotiora magis magisque secula dilabuntur. Quod & illis hodiernum accidere videmus, quos Seculi præsentis, & maximam partem præteriti, finem, & sequuturi initium investigaturos, æræ vulgaris verum Autorem, ejusdemque, in figendo æræ principio, mentem indagare, utique oportet. Equidem præsentis, tam florentissimo omnium
3. scientiarum seculo, provida pariter & uberrima elegantiorum literarum matre, de levidenti, ceu videri voluit nonnullis, argumento disceptare, aut dubium aliquod de re satis aperta, & in confesso penes omnes existente, movere velle superfluum, & necessitatis parum, utilitatis nihil ferens secum, æstimari poterat. Propositâ nimirum quæstione hac : Utrum
4. annus 1699. vulgo sic dictus finiat Seculum 17, aut sequens 1700. inchoet novum ? An verò Annus 1700. ejusdemque ultimus Dec. dies fit ultimus etiam seculi annus atque dies, ut primus Januarii anni 1701. primus sit
- Seculi

Seculi 18. dies ? ecquis unquam mirabitur, fore quamplurimos, qui non
 satis perceptâ aut ponderatâ quæstionis vi, mente, atque ἐμφάσει vanam
 atque inutilem pronuntiaturi sint quæstionem, & vix dignam quæ doctio-
 rum virorum exercent ingenia. Siquidem arbitrabuntur definiendum es- 5.
 se ex Seculi descriptione, quod cum annos exigat centum completos
 (mittimus enim hac vice alias *Seculi* definitiones, quibus huic illive gen-
 ti modo 30., modo 110. annis constare, tam est notum quam quod no-
 tissimum) absolum judicabunt, Annum 1699. vulgo sic dictum esse fi-
 nem Seculi, quod ipsum 100. tamen completos contineat annos. Idem
 enim ejusmodi hominibus facere videtur, id qui adfirmaret, quod face-
 ret, qui mercatorem inducere vellet, ut 99. thaleros acciperet loco 100.
 Ejus est farinae judicium illud, quod de hac ipsa quæstione latum reperi- 6.
 mus in Notabilioribus Historicis, vulgo die *Historischen Remarques* p. 200,
 ex cujus tenore, nodum in scirpo quærere dicuntur, qui hanc de Seculi
 fine litem movere voluerint. Quo de quid sentiendum facile videt, cui
 vel unum ex ante allegatis disquisitionibus perlustrare licuerit; longè
 namque majoris momenti id fore sentiet, quam ut vel de lanâ caprinâ
 certari, vel rem omnem ita dicat perspicuam esse, ut & mercetorum fa-
 muli solvere nodum, aut respondere ad datam quæstionculam valeant,
 ceu præmaturè satis judicare voluit citatus modo Autor *Historicarum*
Annotationum p. 400. Cum tamen & Virorum, quos labor iste exer-
 cuit, Autoritas, rei que in controversiam vocatæ aliæ circumstantiæ, quæ 7.
 ipsæ non omnino nullam in quæstione difficultatem atque utilitatem ar-
 guunt, facile nobis persvadeant, in *Historicis Chronologicis* atque *Ma-*
thesi exercitatum probe, & in autoribus ærarumque scriptoribus optime
 versatum esse oportere, qui solvendam suscipere, invictisque argumentis
 opinionis suæ fundamenta adducere conatus fuerit. Omnino enim hac
 quadrare videmus, quod in Philosophos olim Basilus dicere legitur:
 ἔδ' εἰς πᾶρ αὐτοῖς λόγος ἔσηκεν ἀσάλευτος, καὶ ἀκίνητος, ἀεὶ τὰ δευ-
 πέρας τὸν πρὸ αὐτῶ καταβάλλοντ'. Quod ipsum aperte satis atque 8.
 luculenter apparebit ei, qui, formato rite controversiæ statu, in quæstio-
 nem hanc altius inquirere voluerit. Optime scilicet statuit ante memo-
 ratus Thomæus: Omnem quæstionis cardinem in eo versari, num an-
 nos hodie in æra vulgari completos, an vero currentes intelligamus;
 Cui suffragantur ea, quæ citatus supra Rudemannus, ante quam ad so-
 lutionem ipsam accedat monuit. Non enim hic quæritur: Num nona- 9.
 ginta novem, an verò centum completi anni in Seculo desiderentur,
 id enim satis constabit: Neque hic disceptatur: annon nonagesimus no- 10.
 nus,

- nus, currens quidem, pro seculi fine sit habendus, cum nec illud affir-
 m. maturum quenquam arbitrer. Sed ita habebit quæstio: Utrum ex inten-
 tione illius, quicumque demum æræ hodiernæ vulgaris Autor existat, præ-
 sens annus 1699. completus an verò currens sit habendus? & utrum
 menses hujuscè anni 1699. (ut vulgo loquimur) sint revera menses anni
 1700.; an potius rectè à nobis ad annum 1699. referantur? Quo demon-
 strato, facillimum erit dijudicatu, quodnam sit statuendum futuri Seculi
 12. initium, & verus ejus terminus à quo. Ecquis ergo non facili percipit
 conjectura, disceptari hîc de æra vulgari, ejusque Autore vero, & ter-
 mino etiam à quo incipiat; Cui quam arcte adhæreat illa de vero Chri-
 sti natali, adeo sane ardua, ut difficiliorem controversiam, atque dubi-
 am magis facile non reperias, quilibet videt. Id quod tum ex variis, &
 in alia omnia euntibus, hujus anni Autoribus, tum ex dubiis eorundem
 loquendi rationibus diversimodè à diversis acceptis, satis superque con-
 stat, S. Scripturâ imprimis annum certum non definiente, cujus Autori-
 tas in diversis licet opinionibus salva tamen esse utique poterit. Unde
 Spanhemius in Dub. Evang. P. II. Dub. 1. in eam deductus opinionem:
Quemadmodum Mathematici quadraturam circuli inter æmper habeant,
ita Chronologis atque Theologis merito ea inter esse referendam de vera
Christi natali anno litem; quod cum eodem & alios satis celebres sentire
 Viros affirmat Strauchius in Breviario Chronol. Utut verò Calvisius a-
 liique contrarium statuunt, atque determinari posse annum Christi velint,
 non tamen diffitentur, diversimodas esse Autorum de eodem opiniones.
 Quod sane conqueritur Calvisius C. 46. Isag. Chronol. *Ignominiosum*
prope est Christianis de hac Christi tam celebri, tam solemnî, tam necessa-
 13. *ria Epocha diversis opinionibus dissidere.* Id quod vel exinde potissimum
 evenit, quod tam incerta sit atque dubia annorum mundi Epocha, qua
 de Petavius l. 9. sed Doctr. Temp. disertè profiteri legitur: *Annorum ab*
orbe condito ad hæc tempora numerum nec certa ratione compertum esse,
nec citra divinam significationem posse deprehendi. Illud verò quin ex
 variis variarum nationum æris, & numerationis principiis eveniat, non
 14. erit dubium. Quamvis verò hæc controversia nostra non plane sit ea-
 dem cum illâ, de vero Christi natali, aut ab eadem ita non dependeat,
 ut non demonstrato, aut extra dubitationis aleam non posito Christi na-
 tali, nec nostra determinari quæstio possit; Attamen suo quodam modo
 ex ipsa dependet, ut intelligi non facile, multo minus responderi ad eam,
 queat, nisi in Æram Christianam, & Christi natalem, ex mente Autoris
 15. hodiernæ Æræ inquiramus. Quod verò quantis scateat difficultatibus,
 diversis,

diversis hic autoribus in diversa abeuntibus, ex infra dicendis patebit
Ecquis proinde nullius hanc nostram momenti dixerit, aut argumentum
omni pondere destitutum pronuntiaverit. Utilitatem ejus quod attinet, 16
nemini arbitror integrum esse, omnem plane ab eadem remove. Qvis
enim unquam omnes prævidere circumstantias poterit, in vita communi
indies obvias, quibus inservire certitudo hujus thematis ullo modo queat.
Quod si non foret alia, illam tamen eximiam satis esse quis negaverit, 17
quod major ex hac disquisitione certitudo obtineatur Æræ Christianæ,
tam quidem incertæ, quam est vulgaris atque recepta per universam Ec-
clesiam. Firmioribus enim argumentis evictum dari oportebit, quis Æræ
hodiernæ Autor, & quænam ejus in figenda Æra fuerit mens, hætenus
omnino quamplurimis lubrica, & variis in contrarium semper motis du-
biis impugnanda. Accedit quod istiusmodi in vita communi dari possint 18
casus, ubi omnino intererit, certo nosse initium aut finem Seculi. Cujus
Exemplum obtulit Thomafius citato supra loco. *Narravit, inquit,*
mibi vir fide dignissimus in provincia quadam imperii præfectum provin-
cia interdixisse rusticis sub pœna gravi, ne hoc anno feras venentur.
Rusticos fuisse attonitos, cur, quod hætenus nunquam licuerit, hoc præcise
anno sub pœna prohibeatur. Seniores autem narraffe junioribus, quod
habeant antiquum privilegium venandi cujusque Seculi anno ultimo. Er-
go Rusticos, non obstante Præfecti prohibitione, strenuè venationi operam
dedisse, ac præfecto urgenti, quod sequens demum annus sit ultimus secu-
li, respondisse: majores suos simili modo circa finem præcedentis seculi fu-
isse in exercitio juris impeditos, ac persuasos, ut venationem, ab ipsis an-
no 1599. præcensam, differant ad annum 1600. isto verò anno eos fuisse im-
peditos sub pretextu, quod annus jam præteritus fuerit ultimus. Et,
quod si dubium semper maneret Seculi initium, aut præcedentis finis,
quis in commerciis ab omni confusione tutos redderet mercatores, aut
quis in anno hac ratione dubio natos seculo alicui determinato adscribe-
ret, nondum decisâ controversiâ istâ. 19
Quum ergo præsentem de Seculi
sine litem non arbitremur omni carere aut difficultate, aut necessitate
aut utilitate etiam, operæ videmur pretium facturi, si & nos de eadem
dispiciamus, nostramque de illa mentem paucis declarem. Ego equi- 20
dem suo quemlibet abundare ingenio facillime fero, neque vero meam
hac de materia opinionem ita judico firmam atque infallibilem, quin
multi multa in eadem adnotare aut emendare possint. Profsus enim ita
sentio ut Longomontanus quondam in Astronomia Danica p.35. Non
turpe sibi quisquam ducat ad exactiora revocari. Ast vero non quoque 21
diffido, fore ut eadem etiam in alios mihi rursus concedatur libertas, quâ
debet

debet modestia monendi, quæ dubia mihi, sint visa. Observante enim Casaubono in Prol. ad Exerc. Ant Baron. Aliorum errores modeste indicare, non est injuriam ipsis facere, sed de humano genere præclare mereri, occasionem errandi secuturis amovendo. Quanto magis licebit, sua circa aliorum hypothesein movere dubia, eorundemque solutionem modeste petere.

CAP. II.

CONSPECTUS.

E X mente Autoris æra judican-	Non tamen qui sunt dubii.	15.
dum.	1. Sed in quos omnes consentiunt.	16.
Primi Christiani aliis æris sunt usi.	2. Triplex de Dionysii natali Christi opi-	
De quibus nolumus agere.	3. nio.	17.
Quinam sint primi Christiani hæc æra	4. Prima: vult annum 4713. Per. Jul.	18.
usi.	5. Ita Scaliger Calvisius & alii.	19.
Eusebium non esse Autorem dicitur.	6. Secunda: annum 4714. P. J. Dionysii,	
Justinianus ære Christianæ nondum	annum vero 4713. P. J. Bedæ di-	
meminit.	6. cit.	20.
Dionysium esse verum Autorem pro-	7. Ita voluit Keplerus.	21.
batur.	8. Tertia: Dionysio adscribit 4712. P. J.	
Cujus vera mens dubia est.	8. Bedæ vero 4713.	22.
Historia correcti Cycli datur.	9. Sic Petavius, Langius & alii.	23.
Quo anno inceperit Cyclus.	10. Notamus: omnes consentire in Bedam	
Verbis Dionysii demonstratur.	11. ære hodiernæ Autorem.	24.
Unde annus ante æram habeat Cyclum.	12. Bedæ methodum pro Cyclis O. D. &	
⊙. 9. D. 1.	12. indict:	25.
Hinc error de anno Christi.	13. Bedæ adsignamus 4714. P. J. qui &	
Characteres annorū sunt adhibendi.	14. Christi primus.	26.

1. **Q**Vando itaque propositum nobis est, hac vice disquirere utrum completos hodie, an vero currentes numerare soleamus, aut debeamus annos, id equidem ex antea allatis satis constare arbitror, non urgenda hic esse ea, quæ ex ratione petuntur argumenta; Ratio enim utriusque favet parti, modo complete nobis, modo currenter numerantibus. Neque etiam illa, quæ desumuntur ex aliis, in æris, Epochis, ætatibusque numerandi modis; & hic enim alia contrariantur, alia nobiscum faciunt; neque etiam, quæ ab Autoritate pendent, in iis namque pariter consensus nunquam dabitur. Sed eò demum redire omnem controversiam, quæ fuerit mens Autoris, à quo æra hodierna vulgaris

garis ad nostra usque deducatur tempora, unanimi totius Ecclesiae con-
sensu. Inquirendum nobis igitur ante omnia in verum Æræ Christianæ,
aut hodiernæ (si differant) Autorem, quod ipsum hoc præcipue capite
abs nobis enodabitur. Quod enim primi post Christum, Mundi Serva- 2:
torem, natum Christiani ejusmodi Annorum principio, quale est hodie-
na Æra, non fuerint usi, hoc est, quod annos suos non designaverint
ab anno navitatis Christi, sed potius Æræ Hispanicæ, Urbis Conditæ,
Consulum, Augusti, Indictionum &c. advefacti fuerint, id ipsum ex omni-
bus ferme Chronologis est evidens, nemine, tot apertissimis Autorum
testimoniis, Imperatorum constitutionibus, & veterum antiquissimis mo-
numentis, contradicere auso. Unde ex *Petavio, Scaligero, Keplero,* 3:
Calvisio, Strauchio, Langio, & aliis argumenta thesicos adferre, foret
actum agere. Queniamadmodum & nimis dilaberemur à scopo, si variarum,
quæ penes varias nationes obtinuerunt, Ærarum, abundè in Chronolo-
gicis Systematibus descriptarum, mentionem hic injiceremus. Quod 4:
cum ita sit, minime ad credendum potero induci, allegatum jam supra
à nobis Autorem per *primos Christianos*, & quomodo illi *primos* Christi
annos numeraverint, illos intelligere, qui primis quinque post Christum
Seculis vivere, utpote in quibus Seculis modus iste, à Christo nato (de
baptismate Christi nobis sermo non erit) numerandi annos, nunquam
in usu fuit; Id quod Autori isti, multijugæ lectionis, incognitum fuisse,
ob evidentem in Chronologiâ veritatem, non poterat. Quod enim aliis 5:
visum fuit, Eusebium (& vel antiquioris Ævi scriptores) suo etiam tem-
pore Æræ Christianæ mentionem injecisse, aut à nato Christo numerare
annos docuisse, partim solida hæcenus probatione quam maxime indiget,
partim, quantum ad Eusebium, ab aliis refutatum est, notante *Arnoldo*
Pontaco in Not. ad Euseb.: reperiri codices, in quibus ista, de Æra nati-
vitatæ Christi, verba minime habeantur; Et si vel maxime probetur, Eu-
sebium annos Christianorum à nato Christo potius, quam ab alio tempore
numerandos docuisse, nondum tamen eo ipso probatum est (quod proban-
dum utiq; erat) eam numerationis rationem à Christianis illius Ævi receptam,
adque nostra usque tempora continuatam. Inquirimus autem nos in Au-
torem hodiernæ, ab universa Ecclesia receptæ, Æræ. Quin & hoc du- 6:
bio jam caret, tempore Imperatoris Justiniani, sub quo tamen Anno 532.
Dionysius Exiguus Cyclum inceperat suum, Æram hanc Christianam ab
omnibus universim in consignandis annis non fuisse adhibitam, cum non
videatur verosimile, pientissimum Imperatorem (qui religiosum DEI cul-
tum alibi declaravit, teste novella 132. (hujus Æræ fuisse oblitum in Edi-
cto,

- Sto, quod de temporum consignatione, Notariis Scribisque &c. necessa-
 riâ, sancivit, vid. Novella 47. Ubi equidem quo fundamento, & sub
 qua veri specie, Glossa annos Christi adjiciat, ab aliis demonstratum
 7. lege. Extra vero omnem hodie est controversiam, primum Æræ Chri-
 stianæ Autorem fuisse Dionysium, Exiguum cognomine, Abbatem Ro-
 manum, natione Scytam Imperante Justiniano, qui anno 526, æræ hodi-
 ernæ Cyclum edidit suum, cui adjunxerat annos Christi. Cujus asserti-
 tam sunt aperta Autorum verba atque testimonia, ut fidem facile penes
 quemque inveniat. *Hic enim*, (Dionysius) inquit Beda lib. de Rat. Comp.
 c. 17. *noluit Cyclos suos Paschales ab impii Principis Diocletiani annis com-
 putare, magis elegit ab incarnatione Domini nostri J. C. annorum seriem
 prenotare.* Quo fretus testimonio Spanhemius in dub. Evang. P. II. dub. 1.
Notum equidem, inquit, *Æræ Christianæ, quæ vulgo obtinet, constitutio-
 nem adscribi Dionysio, Exiguo cognomento, Abbati Romano.* Langius lib.
 de annis Christi i. c. 1. diserte fatetur. *Quis primus Christianis Autor fue-
 rit annos à Nobilissimo hoc tempore deducendi, omnibus satis notum est.*
 Et paulo post ipsum Dionysium expresse nominat, ejusdemque ipsius ver-
 ba adducit; concludit demum; *Satis quidem constat Dionysium hunc,
 qui anno Christi comm. 532. floruit, suumque edidit Cyclum (quod priori
 nostro asserto non contrariatur. Anno enim 526. edidit Cyclum, qui
 ab anno 532. incipit) primum in calculo Epochæ Christi fuisse usum, orbi-
 que Christiano ad idem faciendum suo exemplo prævisse.* Eadem ferme
 habet Strauchius in Brev. Chronol. cap. 40. de æra Christ. Quæst. 6. Conf.
 Dionysii Petavii Rat. Temp. P. II. lib. 4. c. 1. Calvisius Itag. Chronol.
 c. 46. Quibus addi poterit Keplerus de vero anno Christi cap. ult. Ut-
 ut enim statuatur ab Eusebio, annos Christi nati digerente in Canone, ab
 Hieronymo latinis literis reddito, prima fundamenta jacta esse numerandi
 annos à nato Christo, attamen ipse statim fatetur, non receptum esse pu-
 blice illum morem; nec Eusebii hunc esse, qui hodiernum obtinet, sed
 alium, plus illo errantem, ut loquitur, quem Dionysio adscribit. Qui-
 bus testimoniis satis superque evictum iri arbitror, verum æræ Christianæ,
 8. à nato Christo numerantis annos, Autorem esse Dionysium. Quæ vero
 fuerit mens ipsius Dionysii, & ad quem sive Periodi, sive Editionis Julia-
 næ, sive alterius notioris Æræ annum alligaverit ipsum Christi natalem,
 inter Autores hætenus ita non convenit, ut dubio omni careant, co-
 rundem de hoc anno sententiæ. Quare ipsa negotii difficultas, & va-
 riorum in hac materia dissensus necessitatem nobis injungere videntur,
 9. rem altius & ex suo deducendi principio. Paschatis festum, variè à variis Ec-
 clesiis

elefiis Christianis celebratum, Episcopis antiquioris ævi, penes quos olim
 festorum ordinationem fuisse satis compertum habemus, ansam dedit Cy-
 clum adornandi certum, terminos complectentem Paschales, quo absoluto
 festum illud omnesq; ejus termini in se redirent; ut ita absq; molesto calculi
 labore in usum civilem facile reperire festos dies cuivis liceret. *Ἀπερθευ-
 σία*, inquit Scaliger de Emend. Temp. l. 4. de Per. Dionys., *terminorum Pa-
 schalium & incerta eius rei penes veteres Christianos doctrina fenestram ape-
 ruit eruditioribus aliquam Periodum ineundi, cujus explicatione rationes So-
 lis cum lunaribus pariarent.* Prolixum nimis, & a proposito nostro hac
 quidem vice alienum foret, varias variorum rationes Cyclorum allegare,
 cum Octoeteriden, Hendecaeteriden, Hexcædecæeteriden, Enneadecæeteri-
 den, aliam alii commenti fuerint; fusius ea omnia & distincte satis Systemata
 Mathematica suppeditabunt. Succinctè imprimis omnia una cum Au-
 toribus adduxit Keplerus loco supra jam citato. Res eo tandem redit:
 Quod Victorinus Aquitanus, ut Theophili Alexandria Episcopi Perio-
 dum ex quinque Enneadecæeteridibus compositam corrigeret, annorum
 532. Cyclum (intra quem, conflatum ex multiplicatione Cycli ☉ 28.
 in Cyclum ☾ 19. annorum, Apocatastasin feriarum plenariam accidere
 jam antea animadverterat Anianus Monachus Ægyptiacus) denuo pro-
 duxerit, incipiens eundem ab anno 15. Tiberij, Christi quidem baptismali,
 referente Evangelista Luca. Hanc vero Periodum 532. annorum Victo-
 rini interpolatam esse ab ipso Dionysio Exiguo anno æræ vulgaris 526.
 tam in ipso principio (non enim baptismale, ut Victorinus, sed paschale
 voluit Dionysius) quam in terminis paschalibus, & Dominicis Resurre-
 ctionis, ita tamen, ut inciperet Dionysius Periodum suam anno 532. Æræ
 vulgaris Christianæ, Periodi Julianæ 5245. Anno Diocletiano 248. Quod
 ab anno 532. Æræ nostræ inceperit, ex ipsomet Dionysio satis probant
 Autores, cujus verba sunt: *Hoc monemus quod Cyclus iste 95. annorum,
 quem fecimus, non per omnia in se ipsum revertitur, & ideo post exple-
 tionem 95. annorum, non ad quintum Cyclum Cyrilli, qui incepit Cyclos
 suos ab anno 153. Diocletiani, sed ad nostrum primum Cyclum, quem nos
 ab anno 248. ejusdem Diocletiani incepimus lector adcurrat.* Quæ Dio-
 nysii verba citans Scaliger, addit: *manifestum est autem, ubi Periodus
 Cyrilli εννενηκονταπενταετηρηκην desinit, inde Dionysianam incipere. An-
 nus primus vero Cyrillianus est annus Christi 437. ergo additis 95, est 532.
 Dionysianus.* Sed, siquidem verum sit, quod opinatus fuit Scaliger, an-
 num primum Cyrillianæ εννενηκονταπενταετηρηκιδος esse annum Christi
 437, sequeretur ex verbis Dionysii, post expletionem 95. annorum, annum

533, non vero 532, fuisse primum Cycli Dionysianum, cui tamen Auto-
 torum communis consensus, ipsa praxis, quin & ipsius Scaligeri verba re-
 clamant. Adeoque cum Petavio P. II. l. 4. c. 9. Rationar. Temp. & a-
 liis statuerem: Annum primum Cycli Cyrilli cœpisse à 29. die Augusti
 anni Æræ Vulgaris 436, sic expleti 95. efficient 531, & post expletos illos
 incipiet primus Dionysianus, annus sc. 532. Quod vero hic ipse annus
 532. Æræ Vulgaris, coincidat cum anno P. J. 5245. ex regulis chronolo-
 gorum facile constabit. Lucem huic materiæ fœnerabuntur, verba ipsi-
 us Dionysii Epistolæ I. quæ ita habent: *Quia vero S. Cyrillus primum Cy-
 clum ab anno Diocletiani 153. cœpit, & ultimum in 247. terminavit, nos
 à 248. anno ejusdem Tyranni potius quam Principis inchoantes nolimus
 circulis nostris memoriam impii & persecutoris innectere.* Jam vero ex
 12. regulis pro indagandis Cyclis ☉lis & ☽næ (utpote quorum Cyclo-
 rum numeri Periodo Dionysianæ adherent perpetuo) ab ipso Diony-
 sio institutis atque traditis posteritati, patet annum primum Cycli, sic, ut
 ostendimus jam restituti, Anno Per. Jul. 5245. Æræ Vulgaris 532. fuisse Cy-
 clum ☉lis 9. ☽. 1. Indict. 10. Quo igitur extra dubium posito, retro se-
 cundum ordinem naturalem numeranti patebit, Annum Primum Æræ
 hodiernæ Per. Jul. 4714. habuisse Cyclum ☉lis 10. ☽. 2. Indict. 4, unde
 sequitur ipsum annum P. J. 4713. qui proxime antecedit Æram nostram ha-
 13. buisse Cyclum ☉lis 9. ☽. 1. Ind. 3. Hic vero ipse Dionysius, qui Cy-
 clum, ceu diximus hætenus, 532. annorum non tam invenit quam resti-
 tuit, cuique usurpatum hodie adscribimus, cum & æræ Christianæ hodi-
 ernæ primus credatur svasor vulgo & Autor, hinc plurimorum scripto-
 rum promanavit error, quod arbitrati fuerint, cum Annus Æram præce-
 dens proxime P. J. 4713. habeat Cyclum ☽. 1. sive primus sit Cycli decem-
 novennalis Dionysiani, ipsum etiam Dionysium huic anno verum adscri-
 bere natalem Christi, incipientem ab eodem Cyclum decemnovennalem.
 At vero præterquam quod annus 532. æræ hodiernæ sit Cycli Dionysiani
 primus, ut casu tantum, numeratione retrorsum factâ, in annum 4713.
 incidat iterum primus, ex ipso Dionysio satis patet, sibi non fuisse propo-
 situm, beneficio Cycli indagare Christi natalem, aut suum cum illo na-
 tali inchoare cyclum, sed Paschatis duntaxat legitimum terminum ex men-
 te Concilii Nicæni, diemque Paschatis ipsum suo alligare Cyclo. Quod
 vel exinde probo, quia ipse Beda non uno loco ex Dionysio probavit,
 annum, cui est Cyclus ☽næ 2, natalem Christi fuisse. Quod si ergo Dio-
 nysii mens fuisset una cum natali Cyclum inchoare lunarem, quare non
 asserit Christum natum Cyclo ☽ primo, non vero secundo, uti jam con-
 dit.

tendit. At vero ut tandem, missis reliquis, ad ipsum quæstionis *κελεύω* 14
μενόν deveniamus, aut distinctius demonstramus, utrum primus *Æræ* ho-
 diernæ annus currens, an vero completus sit habendus? (quæ enim in hoc,
 ea & in aliis quibusvis *Æræ* ejusdem annis erit ratio) annos etiam ante
 Christum in censum revocare nos oportebit, ad quos cum scala usuali-
 um nostrorum annorum non pertingat, aliam arripere, paulo longiorem
 necessum erit. Huic vero negotio satisfiet, si, missis aliorum anni chara- 15
 cteribus, in dubium semper vocatis, aut diversimode à diversis acceptis,
 eos seligamus, quos unanimi nobiscum consensu admittant omnes. Ta-
 ceo enim hac vice, aut prolixè demonstrare supersedeo, *Æram* sive an-
 nos *Augusti* tot diversa admittere principia, aliis à Julii Cæsaris cæde, a-
 liis à primo ejus consulatu, aliis à prælio ad Promontorium actium, aliis
 à capta urbe Alexandria & victo Antonio cum Cleopatra, aliis aliunde
Æræ Augustanæ principium numerantibus; ut qui eundem nominant,
 diversis tamen nixi numerationis principiis, alium longe diversum intel-
 ligant. Neque vero hoc loco fusius explicandum censeo, diversa Urbis
 Conditiæ principia; dum Palilia Varroniana Anno Per. Jul. 3961. Catonia-
 na (sive ut malunt alii Capitolina) Anno P. J. 3962. Urbis Conditiæ initium
 figunt, quæ inter annum est interstitium; quod, utut admittere nolit Cal-
 visius, reipsa tamen annuam se inter atq; Petavium differentiam aperte sa-
 tis ubiq; prodit, ut vel tacitè sic nostram comprobet sententiam. Nul- 16
 lum vero restabit dubium circa annos Per. Julianæ; nec dissensus facile da-
 bitur quorundam circa annos Restitutionis, seu Emendationis Julianæ
 (Julium Cæsarem quippe ope Sofigenis & aliorum Mathematicorum an-
 no 45. ante æram hanc nostram vulgarem, qui coincidit cum Anno P. J.
 4669. emendandi Calendarii rationem iniisse, luculenter constat, & fa-
 cile proinde probatur) quare in his ipsis admittendis sive adducendis, ne-
 mini videbimur dubie locuti. Ut tamen, quæ dicenda sunt, firmiter animo
 infideant, sæpius enim inter legendum numerorum triæ turbare mentem
 Lectoris solent, sequentem allegamus Schematismum:

Ann. Per. jul.	Edition Jul.	Cyclus ☉	Cyclus ☽	Cyclus Ind.	A. Christi
4711	43	7	18	1	
4712	44	8	19	2	
4713	45	9	1	3	
5714	46	10	2	4	1
4715 &c.	47	11	3	5	2

Nemo erit, communi quidem usus methodo, in quolibet anno

- Solis & Indiæ, Cyclos, qui præsentem Schematismum in dubium
 vocabit, aut vocare unquam jure meritoque poterit. Proinde hisce an-
 nis ex mente Autoris hodiernæ Æræ Christi natalem alligabimus, ut evi-
 17. dentiora evadant asserta nostra. Quod ipsum facturi triplicem depre-
 hendimus Autorum de æra vulgari opinionem, speciatim nunc adferen-
 18. dam, ut, quid sentiamus nos, dilucide appareat lectori cuivis. Prima qui-
 dem opinio eorum est, qui vulgarem, quæ hodie obtinet, & cujus hodie
 numeratur annus 1699, ipsi Dionysio adscribunt. Isti quippe autores
 hanc eidem adscribunt mentem: Quod statuerit Christum natum esse
 Anno P. J. 4713. Edit. Jul. 45. Cyclis Solis 9. M. 1. Ind. 3. Id quod exinde
 arguere videntur; Quod Dionysius annis Christi vulgaribus, in numeran-
 do aut inveniendo Cyclo unitatem addere jusserit; ac si eo ipso significa-
 re voluerit, annum ipsum, quo natus fuerit Christus habuisse Cyclum 1.
 M. Unde primus Æræ hodiernæ annus, primus etiam à nato Christo
 completus annus, haberet Cyclum M. 2.; ut ex hac ipsorum de mente
 Dionysii hypothese non possit esse, nisi prædictus, Christi natalis. Quæ
 sint alia hujus opinionis fundamenta, non erimus solliciti inquirere, suffi-
 cit indicasse quamplurimos Chronologorum & Mathematicorum in ist-
 19. hac fuisse opinione, & esse hodiernum. Ita quidem sensit Scaliger lib. V.
 de Emend. Temp. licet illam æram vulgarem, quam Dionysianam appel-
 lat acriter perstringat, quod à vero Christi natali ex sua hypothese longe
 aberret. Neque vero Calvisius ullibi in Isag. Chronol. distinctionem in-
 ter vulgarem & Dionysianam Æram admittere legitur, quin potius di-
 fert c. 46. profitetur: Dionysium statuisse: Christum natum esse in fine
 anni, qui Cyclum Solis 9. M. 1. habet, qui est idem ille prædictus annus;
 quam æram etiam vulgarem dixerat in antecedentibus. Henricus Har-
 villæus Franciscanus in Isag. Chronol. suâ, non tantum hanc æram Dio-
 nysianam agnoscit, sed & tanquam veram propugnare ausus est. Huic
 suffragantur & alii, quos citare prolixius superledemus. Et quod maxi-
 me notandum, Autores illi sic statuentes, quantum observare mihi licuit,
 omnes Bedam hac in parte Dionysium sequi, se vero Bedam arbitrantur.
 Unde Langius c. 1. p. 3. *An hæc Epochæ, quæ nunc utimur omnes, ab eodem*
(Dionysio) sit constituta: in dubium vocatur. Bedæ quidem, aliiq; qui
Bedam sequuntur, id affirmant. Aut si quam alii inter Bedam & Dio-
 nysium admittant discrepantiam, hanc tantum fuisse contendunt, quod
 20. ab incarnatione alter, alter à nativitate numeret annos. Secunda vero
 opinio statuit: Dionysium (adductum ex fallâ, communi tamen, Hypo-
 thesi de Pontificatu Zachariæ, pro stabiliendo 25. Dec, natali die Christi)
 voluisse

voluisse Christum incarnatum die 25. Martii, & natum die 25. Dec. Anni P. J. 4714. Edit. Jul. 46. Cyclo ☉. 10. ♃. 2. Ind. 4. Ut, ex hac ipsius mente, anni principium sit mensis Martius, & finis idem ille sequentis anni mensis statuendus. Bedam vero, confundentem (1.) Æram incarnationis Christi Dionysianæ in termino Martii, cum Æra Nativitatis in termino mensis Dec. (2.) principium anni Dionysiani cum principio anni Juliani, mense Januario statuendi, non antrorsum dilapsum esse ad Januarium Anni P. J. 4715. Edit. Jul. 47. Cycl. ☉. 11. ♃. 3. &c. Sed retrorsum potius digressum anticipasse ad Januarium Anni 4714. P. J. 46. Edit. Jul. Cycl. ☉. 10. ♃. 2. Ind. 4. cujus tamen dies Mensis Januar. Febr. & Martii ad 24. usque nunquam à Dionysio adnumerati essent, annis Christi. Imo vero ultra etiam processisse, ad 25. Dec. natalem Christi anni 4713. P. J. 45. Edit. Jul. Cycl. ☉. 9. ♃. 1. Indict. 3. Unde sequeretur vulgaris, erronea licet, opinio Bedæ: Christum natum esse anno 45. Edit. Jul. mens. Dec. die quidem 25. & incarnatum ejusdem anni martio mense die 25. Hinc Æram vulgarem non esse Dionysii sed Bedæ deducere conati sunt. Hujus quidem opinionis 21. assertorem videmus Keplerum, prolixius eam deducentem, & argumentis eandem quamplurimis comprobantem in Dissert. sua de Vero Christi anno c. 15. Tertia opinio est ipsius Dionysii Petavii, exposita pluribus 22. libr. de Doctr. Temp. (quem ab Autore eo quidem consilio conscriptum volunt nonnulli, ut Scaligero incomparabilis nominis famam eriperet, stipendio quippe a Pontificibus ad id ipsum conductus erat) lib. XII. c. 2. & 3. recensita succinctius in Rationario Temp. Part. II. l. 4. c. 1. & qui Petavium cum aliis sequitur, Wilhelmi Langii de annis Christi lib. I. c. 1. Quæ ipsa opinio etiam asserit, hanc vulgarem aut hodiernam æram non tam Dionysii, quam Bedæ esse; at vero longe aliâ ratione intelligit, quam quidem prior Kepleri. Quod jam indicaverat Spanhemius in Dub. Evangel. nos vero ex ipsorum verbis, ut clarius percipiantur, sic deducimus. Excerptis ipse Petavius ex veteribus Bibliothecæ regię membranis Dionysii de cyclo suo verba, ex quibus apertissime patet ipsum Cyclum suum non a Calendis Januar., ut facit Beda, sed a termino paschali deducere, aut inchoare; Unde necessario sequitur quem libet annum, cujus initium sint Calendæ Januariæ, & finis mensis December, duplici insigniri Cyclorum caractere. Sic e. c. annus Christi 532. P. J. 5245. haberet eequidem Cyclum ☉. 9. ♃. 1. Indict. 10. sed vero à 17. Aprilis tantum, in præcedentibus autem mensibus gauderet adhuc prioris anni Cyclis 531. Ær. Vulg. P. J. 5244. qui eequidem à 29. Augusti incipit numerari. Porro annus Christi 533. habet eequid. Cycl. ☉. 10. ♃. 2. Indict. 11. sed à sexto Aprilis, qui terminus est ejus anni paschalis in

- in prioribus autem mensibus prioris etiam anni Cyclos possidebit, & sic porro. Hinc sequitur, Cyclum in antecedentia retractum incepisse à 17. Aprilis A. 4712. P. J. 44. Edit. J. & finiisse die 5. Aprilis Anni 4713. P. J. 45 Edit. J. Annum verò secundum Cycli coepisse à 6. Aprilis Anni 4713. P. J. 45. R. J. & perstitisse ad 25. Martii Anni 4714. P. J. 46. Edit. Jul. & finiisse 12. Aprilis Anni 4715. P. J. 47. Edit. J. Quibus positis, satisq; ex verbis Dionysii probatis (uti ipsis videtur) concludunt: hodiernam æram integro anno aberrare ab antiqve illa Dionysiana. Verba Petavii hæc sunt: l. c. *Atqui Beda testatur, Dionysium æram Christi ab anno secundo Cycli inchoasse: Exorsus est igitur anno illo qui vulgarem æram proxime antecedit. Qui non est alius nisi 4713. P. J. 45. R. J. Cyclis vulgariter sumptis Olis 9. D. 1. Indict. 3. Eadem habet Langius l. c. sic inqviens: Jam vero, teste Beda, Dyonisius Epocham Christi in secundo Cycli sui anno locavit, erit igitur primus annus Christi juxta Bedam annus secundus Cycli, qui est, P. J. 4713. & c.*
23. *ut supra.* Quid de tribus hisce, & si quæ sint aliæ, opinionibus, æram hodiernam, annos à nativitate Christi numerantem, concernentibus, sentiendum, hac vice quidem non determinabimus. Ad scopum tamen nostrum hujus loci plurimum quidem conferre crediderim sequentia, in quibus τὸ κενώμενον quæstionis versabitur, prænotare. (1.) Ex supra allegatis non tantum, sed unanimi omnium Autorum consensu, constare arbitror, Æram hodiernam esse Bedæ, & ex ejus mente nos hodie designare præsentem annum 1699., & quem jam auspicabimur 1700. Quod ipsum paucis ita denuo manifestum evadet. Aut enim Dionysium aut Bedam nos sequi, statuendum; aliam hodie quidem autorum nemo offert. Qui Dionysium dicunt, illi insimul concedunt etiam nos Bedam sequi. Hi enim Autores, quod supra jam notatum à nobis est, Bedam sequutum Dionysium, ejusq; veram mentem adsecutum esse contendunt. De reliquis res
24. apertissima, & luce meridiana clarior, quod Bedæ sit Æra nostra. (2.) Eo ipso, quod regulas universales, & ab omnibus receptas pro indagandis Cyclis Olis D. næ atq; Indict. ex Dionysio suppeditaverit Beda, non poterit non supra à nobis positum schematismum, ex regulis iis ipsis formatum, admittere; adeoque annus P. J. 4714. Edit. Jul. 46. habebit dubio procul Cyclum Olis 10. D. 2. Ind. 4. annum vero Christi 1. (3.) Passim ipse Beda apertissime profitetur, Christum natum esse ex mente Dionysii (quam ipse tanquam veram approbat, & sequitur, quod nemo negabit) eo anno qui habet Cyclum Olis 10. D. 2. Indict. 4. Qui non potest alius, nisi jam nominatus P. J. 4714. Edit. J. 46. esse. Is tamen ipse annus, quo natum dicit Christum, est annus Christi primus. Cui nostra assertio fidem mereri non videbitur, consu.

consulat ipsum Bedam lib. de Ratione Temp. c. 45. ubi Dionysium, inquit, præcepisse ut ad inveniendam, quotus sit annus decemnovennalis Cycli, ad annos Christi unitas addatur, significans illo incarnato unum circuli decemnovennalis annum jam fuisse præterlapsum. It. eod. cap. Qui (Dionysius) in primo suo circulo quingentesimum tricesimum secundum annum dominice incarnationis in capite ponendo, manifeste docuit, SECUNDUM CIRCLI SUI ANNUM IPSUM ESSE QVO EJUSDEM SS. INCARNATIONIS MYSTERIUM COEPIT. Probavimas ergo Bedæ hanc esse mentem: Christum natum esse Anno 4714. P. J. 46. Edit. Jul. Cycl. O. 10. 2. Indict. 4. Eundemq; ipsum annum esse simul primum nati- vitatis. In quam sententiam expressa & aperta satis sunt Petavii verba in Rationar. Temp. P. II. l. 4. p. 213. Bedæ, cæterorumq; post illum computi Paschalis artificum hæc sententia est: Incarnatum esse Christum, & in lu- cem editum, anno ipso primo Æræ Christianæ Jul. 46. Aur. num. 2., quod ipsum pluribus exemplis ita probat, ut ipse dicat: Ea sic esse vera uti nullam dubitationem aut controversiam admittant.

CAP. III.

CONSPICIUS.

F acilem nunc esse responsionem, di- citur.	1.	Probatur (1.) ex verbis & mente ipsi- us Bedæ.	9.
Querentibus: num mutatio centena- rii 6. in 7. mutet etiam seculum.	2.	Probatur (2.) ex mente omnium A- stronomorum.	10.
Respondendum; negando.	3.	Nec opus est (3.) argumentis ex ra- tione petitis.	11.
Querenti: utrum 1700. currens sit primus novi seculi, Resp. neg.	4.	Neg. etiam (4.) ab Autoritatibus.	12.
Querenti de annis Bedæ, non potest re- sponderi ex alio principio.	5.	Antitheseos resolutio quare non sit ad- dita.	13.
Quod probatur exemplo.	6.	Monita duo de Cyclo 2. 1. & mille- nario.	14.
Error æræ vulgaris nil officit.	7.	Conclusio.	15.
Annum 1700. esse ultimum XVII. Se- culi.	8.		

PRællbatis nunc de vero Æræ hodiernæ Autore, deque vera ejus, in
figendo Æræ principio, opinione atque mente, facillimam nobis re-
spondendi ad propositam quæstionem stratam esse viam deprehendi-
mus; cui negotio hoc ipso capite accingimur, suisque thesin nostram sta-
bilire argumentis conabimur. Illud enim ignorare lectorem nolimus
(quod præmittendum responsioni & monendum duximus) quo sine di-
stincte

2. *Sancte percipi res omnis vix poterit.* (1.) Quid unquam hoc tempore, quo Scientias ad culmen evectas suam videmus, leviori huic, ut videbitur, quaestioni ansam dederit? Scilicet quod hinc inde honestiores quarundam urbium cives & mercatores sponsonibus certaverint inter se; id quod non ex antememorato tantum Rudemanni tractatu, sed verbis etiam Thomae, imo ex fautoris cujusdam Magnifici ad nos benevolentissima exaratis manu literis, aliorumque relationibus comperimus. Quos inter dubio procul hic erat controversiae nodus: Cum haecenus in numerandis aerae Christianae annis cyphras adhibuissimus 1600. (centenarii stationem occupante cyphra 6.) annon mutatis illis in 1700. (ut loco 6. sit 7.) seculum etiam mutetur, ut annus 1700. sit primus novi Seculi, qui primus centenarium variet? Huic vero controversiae a viris non literatis motae, aut, sicut diximus, intelligendae nulla ratione satisfaciet, quisquis in annum Christi verum inquirere, & exinde iudicium ferre voluerit de hodierna loquendi aut scribendi ratione. Id quod inter istos nunquam fuerat in controversia. Sed vero, ceu mihi videtur, eiusmodi viris simpliciter respondendum erat: Centenarii mutationem revera non tam novi Seculi primum, sed veteris ultimum denotare annum. Quod patet ex primo centenarium, sic e. g. annus 100. est ultimus primi seculi; 200. ultimus secundi; 300. ultimus tertii. Sic etiam (neglecto quasi millenario) annus 1700., quem mox inchoaturi sumus, erit ultimus seculi XVII.; dummodo ab Autore aerae non fuerit aliter sumptus, ut complete veniat intelligendus; ea enim nova iam, & ab ista priori longe alia, est quaestio. Quod si enim auctori aerae nostrae haec fuerit mens, quod annus quilibet tanquam iam praeteritus sit numerandus, non negabimus annum 1700. posse etiam ad novum seculum referri, cum re ipsa sit 1701., qui omni dubio procul ad novum pertinebit seculum. Neque (2.) credo, posse a quoquam, qui ullam unquam pollet ratione, hanc moveri controversiam; num centesimus quisque annus, currens quidem, sit seculi prioris finis, an vero secuturi initium? Isti enim, si quem forte deprehenderes, quid respondendum sit, facile videt, qui concedit centum completos annos seculum aliquid complecti. Quod qui negaret, non mereretur, ut debitam sibi pecuniae summam 100. thal. debitor integram solvat, sed 99. tantum. Nec iniquum ipsi fieret, si mille soluturus a singulis centesimis iterum numerare incipiat, eundemque secuturo centenarium tanquam primum novi adnumeret. Quod si enim 9. thal. defectum urgeat, convictum eundem etiam de annorum parili ratione oportet esse, ut missam faciat priorem suam hypothesein. Nec porro (3.) integrum erit cuiquam in hac ipsa quaestio-

quæstione, circa annum 1700. æræ hodiernæ, ex mente Autoris Bedæ con-
sideratum, occupatâ, ad verum Christi annum diemque natalem ex alio-
rum hypothese recurrere, ex eademque hodiernum tempus computare vel-
le. Præterquam enim quod quamplurimæ sint, eaque longe inter se dis-
sentientes, quorum numerus, ut diximus supra, ad 42. excrefcit, suis quæ-
que oppugnata ab alio rationibus, ex quibus unam infallibilem eligere,
eandemque apodictice veram indubiis fulcire argumentis oporteret, labo-
re sane eo difficiliore, quo generaliori thesi utitur in hoc argumento S.
Scriptura *Ἰεὸν πνεύματος*; non poterit quis istam suam opinionem integræ
Ecclesiæ obtrudere, ut unanimi illam suffragio admittat, annosque suos
alio, quam prius, sensu in posterum intelligat. Quod simili in casu evi- 6.
dens est. Si forte quis hujusce diei 30. Dec. horis civiliter quidem, non
astronomicè, consideratis, quæreret ex m: ad quemnam diem hora 10.
antemeridiana (quot vicibus pulsatum forte Horologium sonaret) perti-
neat? ego vero, ex principio quodam astronomico ductus, horas *ἰσημε-
ρίας*, quibus totum *ἡμέρας* in partes 24. æquales dividitur, intel-
ligens dicerem, ad 29. Dec., num vero me quæstioni satisfacisse arbitra-
reris. Quærentis non eadem, quæ mihi, erat mens, sic sane redditivum
cum interrogativo male conveniet. Sic qui de anno aliquo æræ hodi-
ernæ quærît, illi non poterit nisi ex mente Autoris ejusdem æræ respon-
deri, si omnis abesse debeat æquivocatio. Quod si quis urgeat? Eam ta- 7.
men falsam esse; Eidem rehero verba Petavii loco sæpe jam citato. Ne-
que vero prætermittendum est; quocumque anno Christus fuerit natus
nihilominus communem, & usu receptum Ecclesiæ calculum annorum Chri-
sti utilem esse, & ab omnibus adhibendum. Non enim necesse est à vero
natali proficisci annorum Christi summam, dum fixo & immobili ex ca-
pite pendeat, h. e. anno Juliano 46. illigata sit. &c. Quibus add. Lang.
l. c. p. 7. Quamvis autem Epochæ hæc minime sit vera, insignem ta-
men Chronologis aliisque utilitatem præstat, nobisque maximo est adju-
mento ad veram percipiendam &c. Stabit proinde firmo hætenus talo, 8.
*UTRUM EX MENTE BEDÆ ANNUS M. DCC. AD SECULUM XVII.
TANQUAM EJUS ULTIMUS SIT REFERENDUS, AN POTIUS
IDEM ILLE AD XVIII. PERTINEAT TANQUAM EJUS PRIMUS.*
Sit sua cuique sententia, mihi mea! Non enim dubito asserere prius esse
verius: Annum, quem jamjam ingrediemur, 1700. vulgò sic dictum, ul-
timum esse Seculi XVII. annum, ejusdemque 31. Dec. ultimum seculi di-
em, siquidem DEO visum fuerit, eo usque orbis protrahere fata. Ad quod
pro-

probandum, sufficeret forte, provocare simpliciter ad Cap. II. ultimam
 conclusionem; promissi tamen memor, ut manifestum evadat assertum, se-
 9. quentia notabimus. (1.) Supra jam probavimus Bedam (quem venerabi-
 lem vult notissimus ille Monachi versiculus) Annum P. J. 4714. Edit. Jul.
 46. constituisse Christi natalem; eundemq; ipsum simul primum Christiana-
 num nuncupasse. Hinc evidens est conclusio, non reprehendenda p
 Bedæ, in signendo numero 1. sive primo, eam fuisse mentem: Veritur
 nunc primus ille annus Æræ Christianæ, quia intra hunc ipsum annum
 natus est Christus. Non vero hanc: Jam præterlapsus est annus unus.
 Non enim cardinaliter sed ordinaliter semetipsum interpretandum vo-
 luit Autor, quod ex argumento hocce certo colligimus. Proinde quæ
 in primo anno est loquendi ratio, ea in omnibus sequentibus, nisi a-
 liam adfingere mentem Autori volueris, esse debet. Unde præsens eti-
 am annus 1699. sic veniet explicandus: Præterlapsi jam sunt anni 1698.,
 vivimus autem nunc in ipso, labente per menses suos, anno millesimo
 sexcentesimo nonagesimo nono, jamque auspiciabimur millesimum se-
 ptingentesimum, stylo quidem, ut consveto hæctenus ubivis, ita omnino
 non erroneo. Cum ergo annus 1700., non ut completus jam, sed cur-
 rens tam ab Autore, quam omnibus eum secuturis veniat spectandus,
 quis quæso ad secuturum eundem trahat seculum, qui præsentis confessio
 erit ultimus. De ipso die natali Christi jam non est, quod solliciti si-
 mus. Quocunqve enim ille referatur, non tamen faciet ut Bedæ, cujus
 caput, anni est Julianum, alium quam 46. Julianum faciat Christi natalem,
 nec alium etiam æræ suæ primum. Quod quamdiu manet firmum, ma-
 10. nebit argumenti nostri vis, & thesæos exinde veritas. Sed & aliam æq;
 firmam adjicere, pro stabiliendo asserto, rationem Mathematico-Astro-
 nomicam potero. Omnes in universum Mathematici, cyclica usi com-
 puti ratione unanimi hæctenus suffragio (non attentis hac vice, quæ ex
 Calendarii Gregoriani correctione notanda venient, utpote parum ad
 præsens negotium facientibus) comprobant communem indagandi Cy-
 clos methodum, addendo annis Christi 9. 1. & 4. ut habeant \odot lis 3 &
 Indiæ. Cyclos & tacite sic adsvēsiunt æræ vulgari. Eorum autem, quan-
 tum scio, nemo annos æræ vulgari unquam intellexit completos, sed
 currentes potius, quod exercitato in præceptis Astronomicis non vide-
 bitur dubium. Quod si enim hodie, dum hæc scribimus, Anno 1699.
 die 30. Dec. h. 4. P. 32. m. locus \odot lis, aut alterius cujusdam planetæ, fo-
 ret inqvirendus, excerpenti erunt ex tabulis eum in finem constructis
 motus \odot lis pro annis completis 1698. (en! nunquam pro annis 1699.,
 argu-

argumento satis valido) pro mensibus completis 11., pro diebus completis 29. pro horis completis 3. pro minutis 31. &c. Unde manifesto apparet, annos æræ hodiernæ nunquam completos, sed currentes Astro-
nomis intelligi. Annon vero aliæ construi queant Tabulæ, ubi per subtractionem res explicari possit, & sic anni completi sumendi sint? alia est quæstio, nihil veritati nostræ officiens. Adjungere his poteram ex II.
sana ratione desumpta, communique numerationis modo innixa; at vero memor eorum quæ supra jam posui, nolo ea adferre, quæ superflua partim, partim etiam nihil ad rem facientia ego novi. Frustra hic laboraverit, quisquis à numerorum aut horarum ratione argumentari, non intenta autoris mente, voluerit. Rationibus hisce rationes alias objicere eo facilius poterimus, quod non uno semper modo loquantur homines. Respondeat mihi contrarium sentiens, quot anno mundi natus sit Adam? Sine dubio, non anno 0. nullo, sed, anno M. primo, i. e. cum laboretur per menses diesque &c. annus primus, die quidem sexto. Nihil dixerit, quisquis objecerit, non posse istum annum, nondum quippe completum, signari num. 1., videt enim non cardinaliter sed ordinaliter me velle loqui. Frustra laboraverit, qui præscribere alteri vellet loquendi rationem. Quid quod S. Scriptura modo completos numeret dies, modo currentes. Quod si quis alterutrum eligendo, & in hoc vel illo Scripturæ loco inveniando, urgere eum sensum in aliis etiam locis velit, annon errantem moneres? Non ergo & in nostra loquendi ratione sollicitus sis, quid affirmare aut quomodo loqui possis, verum quomodo te loqui jubeat Autor, ex cujus æra adhibes annos. Siquis ex me quæret: quot annos natus es? ego vero natus ante annos 26 $\frac{1}{2}$, responderem: ago jam vigesimum septimum à nativitate mea annum, sive vertitur nunc vigesimus septimus ætatis meæ annos. Ille vero regereret: falleris, sic loqvutus; Tu enim annos 26. natus es & præterea 6. menses; riderem illum, qui optime mentem meam percipiens, non tamen in data abs me responsione acquiescere vellet. Horologium jamjam incipiens volvi in rotis suis (indice primam inter atque duodecimam constituto) si velit quis nosse, quotam designaret horam? utraque ei ratione respondere æque commode possem: effluxit jam duodecima; aut etiam: labitur jam hora prima ejusque totus vel totus quadrans. Viden? non hic quæri, uti loqui commode soleamus, aut possimus, verum uti debeamus. Nolo etiam ad Chronologos aut Historicos, eorumque testimonia, quomodo pronuntiaverint confugere. Cum non tantum Autoritas Autoritati objici queat, observante Thomasio (& observaturo, qui periculum
facere

- facere voluerit) in Dissert. supra allegatæ Coroll. *Evolvi*, dum inquit, *Chronologos*, neque hic aliquid memoratu dignum deprehendi. Ex præstantissimis enim observavi, quod inconstanter annorum myriades & secula, modo ab anno primo, modo ab anno ultimo numerent; sed iterum nihil ad rem me facturum esse auguror. Adde quod in quolibet singulorum Autorum testimonio addenda merito foret ab isto, qui iis inniti velit, ratio, ex quo nempe fundamento Autor sic loqueretur. Alii enim aliter loquuntur, quod aliud admittant æræ principium, hi vero nihil contra nos. Alii, quod erraverint numerando completos, quos currentes voluerit Beda. Alii quod late sumant centenarios, pro præcedentis seculi fine & sequentis initio. Sufficerent hæc ad probandam nostram thesin; nihil ut videatur reliquum nisi dubiorum in contrarium motorum resolutio. Ast vero, cum & pauciores hæcenus hac de materia legere concessum fuerit nobis, ut aliorum mentem expiscari, eorumque rationes ponderare non potuerimus, &, quos legimus, cum in controversiæ statu hæcenus nobiscum non conveniant, alii merito occasione sint reservandi; aliquibus demum in prioribus jam fuerit à nobis satisfactum, ne præsentis laboris, verè extemporanei, magnitudo, ultra quam speraveramus, excrescat, manum nunc de tabula! Unicum hocce notantes; si (1.) Cycli Dionysiani numerus primus cuiquam dubium moveat, notanda probe esse supra posita. Quod si Cyclo 1. annum Christi indigitare voluisset Dionysius, nunquam sanè (quomodocunque etiam intelligas) dixisset, Christum natum Anno Cycli Dnaris 2. Vel si cui etiam (2.) millenarius (anno 2000., si eò pertingant fata mundi) dubium moveat, ille notet, & eandem ibi esse rationem quæ in centenario. Ut enim ad seculum centum ita ad millenarium mille completi requiruntur anni; ut egregie docuit Magnificus supra laudatus fautor in sua ad nos epistola.
15. **Concludimus ergo: ANNUM, VULGO SIC DICTUM, M. DCC. ULTIMUM ESSE SECULI XVII.;** addita succineta argumentorum ἀνακεφαλαιώσεϊ syllogistica. (1.) Si ex mente Bedæ annus ipse nativitatis Christi, est annus simul Æræ Christi primus,
- mus,

mus, sequitur quod sit currens, non vero completus, intelligendus. Consequentia probatur ex absurdo contrario. Nisi enim hæc sit mens: Annus Christi natiuitatis est primus Æræ Christianæ, nunc labens, currens &c. erit ista, omnino absurda: Annus jam est unus Æræ Christianæ præterlapsus, dum nasceretur Christus. Antecedens probatur Cap. II. n. 26. (2.) Si ex mente Bedæ annus Æræ Christi primus est currens, sequitur quod etiam annus 1700. sit currens intelligendus. Consequentia luce meridiana clarior. Quæ enim est ratio in uno, ea est in singulis reliquis ejusdem æræ, ex mente ejusdem Autoris. Antecedens patet ex priori. (3) Si annus Per. Jul. 4714. est primus æræ Christi. currens, erit etiam annus P. J. 6413. annus millesimus septingentesimus currens. Consequentia & Antecedens patent ex prioribus. (4.) Si ex mente omnium Astronomorum anni
æra

ax
Tom
740

ærae Christ. sunt currentes, sequitur &
1700. esse talem. Antecedens proba-
tum est C. III. n. 10. Hinc (5.) conclu-
dimus: Si annus 1700. Ærae Christ. est
currens sequitur quod sit ultimus Seculi
XVII. Ceterum & nostram hanc Dia-
triben claudet æqvissimum summi Scali-
geri dictum: INFINITA RES EPOCHÆ ET
INTERVALLA TEMPORUM; SED IN QVA MA-
TERIA NULLA JUSTIOR VENIA SIT; SIQVI-
DEM NULLIUS EST, UT OMNIA NOSSE,
SIC OMNIA LITERIS COMPLECTI. Sicubi
ergo hallucinatos nos esse deprehenderit
æqvus lector, nobis imputet, ad saniora
revocari non recusantibus. Si quid veri
dictum viderit, in Gloriam ejus, quem
respicit salutifera, quâ de loquimur,
æra, eorumque forte commodum,
quibus inservire studiis nostris
jubemur, dictum
velimus.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

